Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

per uerbum ireuellenter ab ingruentium feruore seditionum tremenda, id temporis ut ita
dixerim romanis umbracula praetegebat. Exiit ergo edictum a caesare augusto ut censum pro
fiteretur uniuersus orbis. quia inminebat edictum regis christi quo salutem consequeretur uni
uersus orbis. qui uocabulum augusti perfectissime complens ut pote suos et augescere desiderans
et ipse augere sufficiens censoribus suae professionis non ablatione pecuniae subiectos sed
fidei oblatione signare praecepit. Euntes inquiens in mundum uniuersum praedicate euangelium
omni creaturae. qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit.

Haec descriptio prima facta est praeside syriae cyrino et ibant
omnes ut profiterentur singuli in suam ciuitatem.

Hunc cyrini temporibus habitum censum etiam iosephus inlustris hebraeorum historiogra
phus in octauo decimo antiquitatum libro hoc modo memorat. Cyrinus autem uir unus ex
consensu curiae romanae per singulos magistratus usque ad gradum consolatus ascendens per cetera
quoque honorabilis cum paucis syriam uenit a cesare. ius dare gentibus missus et censor simul
patrimoniorum futurus. Itaque quod dicit. Haec descriptio prima facta est a praeside syriae. signi
ficat hanc descriptionem uel primam esse earum quae totum orbem concluserint. quia plerasque iam
partes terrarum saepe legimus esse descriptas. uel certe primo tunc coepisse quando cyrinus syriam
missus est. Quomodo autem tunc imperante augusto et cyrino praesidente ibant omnes ut cen
sum profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ita et nunc imperante per ecclesiae praesides id est docto
res immo suadente immo suadente et praemia pollicente christo eamus omnes nullus excipiatur
a censu iustitiae. ueniamus ad eum qui laboramus et onerati sumus et ipse reficiet nos. Tolla
mus iugum eius super nos et discamus ab eo quia mitis est et humilis corde et inueniamus requiem
animabus nostris. Haec est enim nostra ciuitas et patria requies uidelicet beata et caelestis animarum
ad quam insitis nascentias exordio a deo christo creati ad quam ab homine christo sumus in fine saeculorum re
creati. Ad quam nimirum ciuitatem pacis et quietis ire et deuotum regi nostro thesaurum offerre est cres
centibus cotidie uirtutes ac fidei perfectibus superne lucis quae sint gaudia aeterna speculari et pro his
adquirendis prospera mundi simul et aduersa contemnere. et his adquisitis mundatos nos
ab omni inquinamento carnis et spiritus pretiosius auro deo munus offerre. quod si etiam genus numis
matis quod cesari pendebatur diligentius inspexerimus non parum nobis deuotionis et ipsum man
dare probabimus quod non aliunde melius quam de ipso euangelio quaerere et inuenire ualemus.
Ubi temptantibus sed et tributo cesari reddendo dominus ait. Ostendite mihi numisma census. at illi inquit
obtulerunt ei denarium. Et ait illis ihesus. Cuius est imago haec et superscriptio. dicunt ei. Cesaris. Tunc
ait illis. Reddite ergo quae sunt cesaris cesari. et quae sunt dei deo. Ubi primo notandum quod cesari de
narius qui decem nummos habebat. quod etiam nomine prodit magne eius et superscriptione titulatus sol
uebatur. deinde inferendum quia iubente domino quae cesaris cesari. et quae dei sunt deo esse reddenda.
Nobis quoque sollerter intimatur in similitudine denarii regalis deo regi nostro decalogum legis